



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Theophili Raynavdi, Ex Soc. Iesv. Erotemata De
Malis Ac Bonis Libris, Deque Ivsta Avt Inivsta, eorumdem
confixione**

Raynaud, Théophile

Lvgdvni, 1653

IV. Athei & nullius, vel cuiusuis fidei, ac Religionis libri an improbandi?

urn:nbn:de:hbz:466:1-11141

lollio impiæ doctrinæ, meritò habentur suspecta, & ab iis, qui sibi bene consultum volunt, refugiuntur, tanquam contaminata per eam admisionem.

Nihil verò esse in libris hæreticorum, siue loquentiam, siue materias consideres, quod in Catholicorum libris aliorumve qui sine periculo legi queant, non habeatur, colligitur ex S. Irenæo *lib. 3. cap. 4.* & late confirmatur ab Alphonso de Castro *lib. illo 2. cap. 16.* Et ut aliquid ignorandum esset absque huiusmodi libris, præstaret, (quod D. Augustinus *serm. 31. de verb. Apost.* dixit de hæresibus,) illud ignorare, quòd sit ista ignorantia turior. Cauendi ergo hi libri ne exitium legenti aduoceetur, iuxta Clementem Alexandrinum *5. Stromatum, cap. 1.* Neque tamen inficior, quin personis à pericia & pietate bene constitutis, quia periculum nocuementi inferendi abest, & ad Ecclesiæ rationem necessaria est eorum opera, fas sit ab iis, quorum interest, exorare facultatem libros illos legendi; id enim infra monstrandum est. Et has esse falsas reliquias, quas residui diuinæ gentis possident, scitè profequitur Rupertus *lib. 2. in Sophon.*

Tantum de hoc hæreseon plantario iusta censura eradicando, non enim aliunde magis gliscant hæreses, quàm interuentu librorum. Pleniùs in hanc rem disputant, quos consulere per orium licebit, Alphonfus de Castro *de iusta hæretic. punit. lib. 2. cap. 15. & 16.* Conradus Brunus *lib. 6. de hæretic. cap. 6. & 7.* Bellarm. *lib. de laicis cap. 20.* Ricciullus *lib. 5. de iure person. extra Eccles. cap. 21.* Gabriel Putherbæus *de tollendis malis libris, lib. 3.* Baptista Cardona *lib. de expungendis hæreticorum autorum nominibus.* Quæ enim ibi habet quoad libros arguenti non reprobi, multo magis valent quoad hæreticorum libros, hæreticos abolendos. Iacobi Gretheri opus *de iure prohibendi libros hæreticos*, serò admodum ac post ista pridem còscripta venit in manus meas supplementum bipartitum eiusdem operis, quòd inter varia theologica opuscula, postea edidit, legi iam olim. In Epimetro ad illud opus de malis libris, per octo prima capita, fusè demonstrat, quantum semper fuerit hæreticorum antiquorum, ac recentiorum studium, ut libri Catholicorum, qui ipsis habentur hæretici, exterminentur. Itaque ex ore suo iudicantur.

28.

EROTEMA IV.

*Athei, & nullius religionis libri, num
improbandi?*

Hæreticis adiungo Atheo, quòd è duplici Atheorum genere, quos Philotheus Constantinop. *orat. de vrbis SS. Patris*, recenset, teriores sint hæretici, etiamsi ordine temporis posteriores, ut idem obseruat: præterquam quòd sedimentum hæreseos, est Atheismus, ut dixit Clemens Alexandrinus. Itaque rectè subiungitur hæresi.

19.

C

Libri

Libros ergo Atheorum configendos esse, extra controuersiam est, si sermo sit de iis Atheorum libris, quibus existentia Numinis expressè, & directè impetitur. Quin potius, vt Theodoretus *initio sermonum de prouid.* egregiè disputat, par esset, omnes planè mortales, imò & omnes res creatas armari in ultionem tantæ atrocitatis, & Deo pro innumeris nominibus, quibus illi omnes obstringuntur, stipendiarium hoc obsequium pendere. S. Gregor. Thaum. *in Origenis laudatione*, omnium ab eo, præterquam huiusmodi librorum lectionem probatam, ait, verbis illis: [Philosophari nos ita iubebat, vt omnia quotquot extant, veterum tum Philosophorum, tum Poëtarum scripta colligentes, nihil omninò reiceremus, nihilque repudiaremus, (necdum vim habere iudicandi poteramus,) præter ea quæ Atheorum essent, qui à communi hominum sensu discedentes, Deum, aut prouidentiam esse negant; hæc enim ne digna quidem esse, quæ legantur, ne qua fortè re inquinaretur nobis, animus, qui quum pietatem colere debeat, sermones audiat diuino cultui repugnantes. Neque enim ij, qui templa adeunt, religiosum putant, quidquam omnino profanum contrectare. Horum itaque libros, iis qui pietatem profiteantur, nullo in numero esse debere.]

30. Cadit planè in hos libros, quod sigillatim de libris Theodori Mopsuesteni, blasphemiarum, & Atheismorum plenis dixit V. Synodus *collatione* 8. [Cum in medium prolatae sunt blasphemiae codicibus insertae, mirati sumus Dei in his potentiam, quòd non diuino igni statim incensa est lingua, & mens quæ hæc eructauit: & nunquam concessissemus procedere lectorem prædictarum blasphemiarum, pro sola memoria illarum, indignationem Dei timentes: (vt pote vnaquaque blasphemia, magnitudine impietatis antecedentem superante, & mentem auditoris funditus permouente;) nisi eos, qui talibus blasphemiiis gloriantur, videremus indigere confusione, per manifestationem earum eis inferenda: vt nos omnes zelo blasphemiarum contra eum expositarum incensi, & in medio lectionis, & post ipsam, inclamationes, & anathematismos contra Theodorum vt viuentem, & præsentem faceremus: Propitius sis Domine, dicentes; nec Dæmones ausi sunt talia contra te loqui. O intolerabilem linguam illam! ô prauitatem! ô altram illam manum, quam extendit contra Creatorem suum! Scripturas scire miser ille pollicitus, non meminisse Osee Prophetæ, dicentis: *Va illis, quoniam exilierunt à me: famosi facti sunt, qui impij fuerunt in me, iniqua locuti sunt aduersum me, & aduersum me ex cogitantes, locuti sunt pessima. Ideo cadent in framea, propter improbitatem lingua sua. Hic contemptus eorum in sinu eorum, quia transierunt testamentum meum, & aduersus legem meam impiè egerunt.* Istis Theodorus Impius meritò subiicitur.]

Studia Ethnicorum, contra huiusmodi libros.

31. Præiuerant Christianis, in librorum Atheismo sordentium proscriptione, Ethnici. Protagorum namque Abderitem, quòd in dubium reuocasset, esse tunc aliqua diuinitas, seque professus esset dubium ea in re; Athenienses è suis
libris

libris expulerunt, & libros eius quibus hæc continebantur, in concione exusserunt, vt autor est Lactantius *lib. de ira Dei, cap. 9.* Quod autem apud Minutium *n. 9.* habetur derisisse Athenienses eius scripta, mendosum videtur, & pro deriserint, legendum *deusserint.* Sicut mendosè apud Ioannem Sarisberiensem *lib. 5. Polycrat. cap. 4.* loco *Protagora*, legitur *Pythagoras*, cum hæc narratio refertur. Libros Tullij *de natura Deorum*, quod multitudine Numinum abroganda, Atheismum inducere censerentur, à nonnullis quidem ob verborum luculentiam retentos; à plerisque tamen prorsus repudiatos, & dignos visos, qui publico edicto abolerentur, testatur in hunc modum Arnobius *lib. 3. n. 5.* [Sed quid aucupia verborum, splendorémque sermonis peti ad hoc dicam, cum esse non paucos sciam, qui auersentur, & fugiant libros de hoc eius; nec in aurem velint admittere lectionem opinionum suarum præsumpta vincentem: cumque alios audiam musitare indignanter, & dicere, oportere statui per Senatum, vt aboleantur, ne vetustatis opprimatur auctoritas.]

Hi, (vt subdit Arnobius,) tamen [intercipere scripta, & publicatam submergere lectionem,] rebantur iustissimum, quippè pertinens ad defensionem diuinitatis. SC. aduersus libros atheos, & improbatæ religionis, recitat Linius *dec. 3. lib. 5.* qua eadem ex causa, Senatus cremandos edixit libros quosdam à traicente aratrum ad Numæ sepulchrum, re-
 pertos; qui si vulgati fuissent, receptam religionem, ac cultum Numinum violaturi visi sunt. Rem ex Varrone refert Lactantius *lib. 1. instit. c. 22.* & S. August. *7. Ciuit. c. 34. & 35.* Testatur item Iustinus in *Apolog. ad Anton.* decretam apud Ethnicos fuisse mortem, contra eos, qui Hystaspis, & Sibyllæ, & Prophetarum libros legerent, quòd inde eueri ritus patrios & induci Atheismum criminarentur. Alexander Vates, apud Lucianum in *Pseudomante*, librum Epicuri tanquam Atheismi fermentum, medio in foro combussit lignis ficulneis, & cineres abiecit in mare. Edicto publico antiquos eam ob causam libros Epicuri addixisse flammis, testatur Cleomedes *lib. 2. Cyclicorum theorematum.* Exterminari libros Poëtarum, de Deo indigna scribentium, mandat Plato *lib. 2. de Republ.* quòd scilicet hæc sit ad Atheismum lata, & expeditissima via.

Leges sanè quascumque Ethnicorum Principum, quibus Christianorum libris, vastitas sæpè est indicta, spectasse ad hanc librorum Atheorum confixionem, ob inducendi per eos Atheismi metum, est extra dubium. Nihil enim apud priscos Christianæ rei propugnatores, Iustinum, Athenagoram, Arnobium, Lactantium, aliòsque frequentius, quàm *Christianos Atheos, Christianam religionem Atheismum*, audire. Ac proinde libri Christianorum, in quos plurima sunt lata Ethnicorum Principum edicta, nominatim verò Diocletiani, vt autor est Eusebius *8. hist. cap. 3.* eo nomine ad incendium tanto ardore vestigabantur ab Ethnicis, quòd Atheismum tradere insimularentur. In quam rem multa dabit Balduinus *ad lib. 1. Optati, pag. mihi 83.* Verius ea criminatio Manichæos appetiisset, quorum item codicibus Diocletianus ignes subici mandauit, dato ea de re ad Iulianum Africæ Proconsulem rescripto, quod extat in collatione Mosaicarum, & Romanarum legum, antiqui scriptoris à Pithæo refossi *titulo 15.* Grassatum tamen æquè esse, idcirco incendium Dio-
 cletiani

cletiani iussu in libros Christianos, &que Catholicos, tanquam Atheismo re- fertos; & qui Christiani sacros libros ad incendium tradiderunt, dictos *Traditores*, magnaque illa infamia flagrasse, quæ Cæciliano falsè impacta, schif- maris Donatistarum fecit initium, fusè referunt Optatus, & D. Augustinus agentes contra Donatistas. Et planè arbitror, de hoc per Diocletianum exci- tato librorum sacrorum incendio, egisse Arnobium, cum dixit ad calcem quarti libri, questus de Ethnicis Atheismum in libris Christianis peruersè damnantibus, quo scatebant vniuersi Ethnicorum libri. [Quòd si haberet vos aliqua vestris pro religionibus indignatio, has potius litteras, hos exurere debuistis olim libros, istos demoliri, dissoluere theatra hæc potius, in quibus infamiae Numinum, propudiosis quotidie publicantur in fabulis. Nam nostra quidem scripta, cur ignibus meruerint dari? Cur immaniter conuenticula dirui?]

Ipsi priuati Ethnici, quanto ardore corripentur, ad cladem librorum qui- bus Christianus propugnaretur, vel polytheismus impugnaretur, (quippè quos Atheismi patrocinium continere interpretabantur,) intelligitur ex La- ctantio, in ipso fronte *libri quinti instituit*. [Non est, (inquit,) apud me dubium, Constantine Imperator Maxime, quin hoc opus nostrum, quo sin- gularis ille rerum conditor, & huius immensi Rector asseritur, si quis attigerit ex istis ineptè religiosus, vt sunt nimia superstitione impatientes, insectetur etiam maledictis, & vix lecto fortasse principio, affligat, proiciat, execretur, seque inexpiabili scelere contaminari, atque adstringi putet, si hæc aut legat patienter, aut audiat.]

Alij Athei, non nisi claucularij, triplici ordine digesti.

34. Hæc de illorum quos dixi formalium Atheorum libris, rata sunt, & extra- dubium. Sunt tamen alij quidam Athei, de quorum libris non vnâ sedet om- nibus sententia; pauci enim sunt qui frontem ita perfricauerint, vt Deum esse aperte diffiteantur. Imò ij ipsi, qui nullum esse Numen, impia apud semet- ipsos mentis agitatione persuasi sunt, omni ope annuntur, vt propudiosum sensum occulant, siue malignitate nefarij dogmatis latebras amante, siue metu suppliciorum legibus constitutorum, aut subiti imperus, multitudinis; quæ tanta blasphemiae atrocitati, non expectata legum seueritate, lapidationem, aut lacerationem rependeret. Itaque Lucilium Vaninium, (qui Atheismum postea Tolosa viuicomburio non expiauit, sed resoluit in cineres,) vidimus ipsi, priusquam detegeretur, altum corde scelus prementem, & libros in spe- ciem non malos edentem, quibus tamen iaciebantur Atheismi semina quæ- dam, eruptura in tempore. Qui autem clam profiteantur Atheismum, repe- riuntur non rarò. Pomponium Latum, Domitium Calderinum, Angelum Politianum, eam vixisse vitam, quæ homines mente planè corruptos saperet, & Atheismi suspicionem non leuem infingeret, ego non desinio qui nobis de aliena conscientia ferre iudicium. Ita tamen legere est apud Vinem *lib. 2. de verit. fidei cap. 7.* & apud Puterbæum *lib. 1. de tollendis malis libris, pag. 81.* Omitto quòd nominatim Domitium illum, Politianus *miscellaneorum cap. 9.* exhibet Parthis, & Cresensibus mendaciorum, dum famam captat, aut tueri satagit. Sed est

est de eodem hoc Epigramma, quod magis ad rem nostram facit, ab eodem Politiano conscriptum.

Audit Marsilius Missam, missam facis illam,

Tu Domiti: magis est religiosus vter?

Quis dubites? Tanto es tu religiosior illo,

Quanto audire minus est bona, quam facere.

Subolet hic versus & Domitij, & Politiani, Domitium quoad Sacri neglectum Marsilio præferentis, clancularium Atheismum. Quam multos huiusmodi clancularios Atheos, nuperi Euangelici intulerint orbi, legere licet apud Lindanum in *Dubitatio, dial. 2. cap. 9.* & ita disertè testantur & queruntur arietes pufilli gregis, vt Hedio *epistola ad Melanthonem*, & Petrus Viretus *lib. 2. de ministr. verbi.*

In hoc ordine hominum, quos Atheos clancularios dicere possumus, ij primò sunt censendi, quibus religio ludus est, & sine rubore, sine scrupulo conscientia, facetos agunt, vel potius scarras in rebus quoque sanctissimis: ita vt quamuis apertè religionem, aut cultum Numinis non proscindant, tamen scommatibus, ac iocis ita depretient, vt nullo apud se loco esse, satis prodant. At Numen cuius cultus nihili fiat, apertè exploditur, habeturque pro inani numine. Nam vero Numini, quòdque secundum hominis æstimationem tale sit, cultum, & religiosum obsequium nemo negarit.

35.

Secundò in eundem ordinem referendi sunt, qui tametsi de Deo sileant, quædam tamen dogmata conuellunt, sine quibus constare non potest dignitas, & maiestas Numinis, vt providentiæ diuinæ, iudicij extremi, immortalitatis animorum, æternæ vitæ, ve mortis assertio; qui enim Deum improvidum statuit, Deum negat, quia vel amore operum suorum, vel potestate illis prospiciendi, vel cognitione indigentia eorum, priuare Deum censendus est, ei curam adimens rerum, quas condidisse fatetur: aut eas certè non ab illo, sed ab alio quopiam editas, vel ex seipsis sine causa vllius beneficio enatas, arbitretur necesse est, quorum vnumquodque, compendiarium est ad Atheismum via. Qui autem iudicium extremum, vel animarum nostrarum perennitatem, vel vitæ alterius statum non agnoscit, is providentiam apertè euertit. Nam cum in hac vita, boni ferè luctentur cum incommodis, si alius nullus superest status, in quo ad veritatem expendantur vnus cuiusque merita, & tribuatur cuiilibet, quod iustum est; Deum improvidum agnoscere, atque aded reuolui in Atheismum, necesse erit.

36.

Tertiò aggregandi eidem ordini sunt, qui religiosum cultum eatenus probandum ac retinendum censent, quatenus ad continendos populos in civili disciplina, & obedientia politica, potest conducere; cæteroqui eum neque eurant, neque probant: vnde prout firmandi, vel amplificandi principatus opportunitas tulerit, retineri, vel abiici religionem edicunt, vtentes ea tanquam persona super scenam. Et eiusmodi esse qui *Politici* vocantur, notauit Vasques *1. p. disp. 20.* ex Lindano, & aliis. Suis eos coloribus expressit Lensæus, ea de politicis lucubratiuncula, quæ exstat ad calcem operis de Christiana libertate. Peripatericos in hanc hominum colluuiem conicit Origenes *lib. 7. contra Celsum*, aiens illos ad oculum, & gratiam hominum, religionis

36.

gioni s externam formam probasse. An verè, excutio lib. 4. de virtut.
n. 296.

*Libri eorum proscibendi; ac primùm impiè facetorum, ut
Rabelesij, atque Erasmi.*

37. Horum omnium libri dignissimi sunt, in quos vigor censura exeratur: hancque ob causam, Platonis libri, quibus Socrates Numinum irrisor plerumque inducitur, notati olim sunt. Eodémque nomine, Socratem nomenclatura *Attici scurra* donat, & mordet Minutius n.72. In Gallia, ex quo prodiit, pessimè apud omnes bonos semper audiuit Franciscus Rabelesius, scriptor, vel Caluini iudicio, (vt est apud Fabricium in *Apolog. contra Bezam*, intexta Balduini apologiis, pag.40.) planè Atheus: cui mysteria quæque augustissima, iocorum argumentum fuerunt, vt etiam mox animam efflaturus, de Sacramento Vnctionis extremæ, quod, vt consuetudini seruiret, exceperat, ea iocans, & cachinnans effatiuerit, quæ absque lachrymis referre, pollutio fuerit. Vixerat aliquando inter FF. Minores, sed ad primum buccinæ Lutheranæ clangorem, apostatauit, verus Lucianus. Redolent autoris genium facetè Atheum, scripta eius omnia, quibus plerique dum iocos captant, & remittere ingenium quærunt, Atheismi virus sensim combibunt, & res sacras nauci habere, ac sacra quæque iocos ducere, condocescunt.

38. Locum sibi suum, in hac classe scurrarum, de sapientissimorum hominum sententia, vendicat Desiderius Erasmus. Nam quamuis aliis præterea, nec tenuibus maculis sordent eius pleraque scripta, tamen eo nominatim ex capite reprehensioni proborum patuit, quod de rebus sanctissimis, tam iocularia, & ridicula chartis commisit, vt alter *Lucianus* audiret, mysteriis Christianæ fidei, & dogmatibus Christianis impia dicacitate & facetiis, eodem planè modo ac more exagitationis, quo Lucianus Deos suos derisit: de quo idcirco Eunapius in proœmio operis de vita Sophistarum & Philosophorum, illud breuiter, ac verè dixit: [Lucianus Samosatensis, homo ad concitandum risum factus.] Quamquam Lucianus eatenus laudari poterit, quod specie dicacitatis, & urbanitatis, polytheismum acriter insectatus est, vt propterea Platonici eum valdè commendarent: soli autem Poëtæ, tanquam Deorum suorum obscenissimorum exagitatore proscinderent, referente Isidoro Pelusiota lib. 4. epist. 55. At Erasmus, circa ipsa Sancta egit morionem. Grauius, & meritò, quoad Erasmus, de hoc expoſtulauit Albertus Pius, & in Antapologia pro Pio, Genesius Sepulveda, retundens diligenter, quæ Erasmus in Moria, (cuius plusquam viginti millia voluminum cusa, ipsemet Erasmus gloriatur in Apologia ad Iacobum Stunicam;) itemque in libris colloquiorum, impiis illis iocis scatentium, ad suam qualemcumque purgationem protulerat.

Expoſtulat quoque Petrus Canisius lib. 5. de *Deipara*, cap. 10. Erasmus dum in rebus sacris Momum agit, magnam simul fenestram Luthero, & aliis erroribus aperuisse, ad religionem vniuersam innouandam, eòsque tumultus concitandos, quibus Christiana religio miserè conscissa est; non enim aliud ferè
Lutherus

Lutherus habuit, cuius exemplo ad audendum moueretur, quàm Erasmi licentiam ioculari; nisi quòd Erasmus, callidè duntaxat, non apertè, & ita vt iocos potiùs captare videretur, rem Christianam appetiuit; Lutherus, (vt erat proiectissimæ audaciæ,) abiecta persona, qua Erasmus nequitiam tegebat, manifestè ac palàm grassatus est. Itaque quod Kilianum Leib, Priorem Rubdorfsensem, dicere facetè solitum scribit Conradus Brunus *lib. 1. de heret. cap. 10. Vbi Erasmus innuit, Lutherus irruit.* Alij, *Erasmum dubitare, Lutherum affirmare.* Nonnulli *fouisse Erasmus oua, Lutherum exclusisse,* dixerunt. Denique alij alludentes ad antiquum dictum, de Platonis, & Philonis similitudine sensuum, & eloquij, quæ parœmiæ locum fecit, *aut Plato Philonizat, aut Philo Platonizat,* vt Hieronymus ac Suidas in *Philone* memorant, & Photius *cod. 105. aut Erasmus Lutherizare, aut Lutherum Erasmizare,* iactauerunt. Plagulas impiorum Erasmi iocorum, quas Sepulveda, & Canisius locis allegatis proferunt, dum lego, obstupesco profectò, & attonitus hæreo, non tam ob scurrilitatem blasphemiam, quàm ob celebritatem nominis, Batauico huic scurræ à plerisque pro viribus conciliatam; quem maiorem futurum fuisse, si minor esse voluisset, rectè statuit Iulius Scaliger, approbante Alano Copo *dialogo 3. cap. 17.* vbi ex Martino Cromero *lib. 3. colloq. de relig. prurigo nouandi in Erasmo, & singularitatum in doctrina capratio; fastidium verò receptorum sententiarum, vnde illi non vna labes, nominatim refertur.*

Quæ ad immanes huiusce muris atpiones, & fidei, & SS. Patrum, spectant, non suscepi hîc demonstranda: legatur quoad Erasmi ferè exploratum Arianismum, Bellarminus in *prefatione ad libros de Christo*, Posselinus *lib. de Atheismis hereticorum, ac lib. de prouocatione nouorum Arrianorum ad Erasmus*, Valentia *lib. 1. de Trinit. cap. 9.* qui apertum quoque Erasmi Macedonianismum contra Spiritum sanctum, refert *ibidem cap. 24.* De Dei immensitate dubitauit, indeque eum commendat Vorstius, vt refero in *Natur. Theol. dist. 7. n. 76.* Erubescere vel inuitus cogatur, qui legerit, quàm spurcè, & irreuerenter de Christi conceptu locutus sit Erasmus, castigatus eam ob rem à Canisio *lib. 3. Mariæ lib. cap. ult.* Luctum de Christi morte, Christianæ Ecclesiæ solemnem in Parasceue, vocauit Erasmus *Luctum Adonidis,* referente Catharino in *cap. 3. Genes. pag. 286.* Circa sacras reliquias fœdè aberrauit, vt videre est apud Alanum Copum *Dialogo 3. cap. 17.* Erga B. Virginem, quàm propudiosus fuerit Erasmus, monstrat Ferreolus Locrius *lib. 1. Mariæ August. cap. 4.* Canonismum Sanctorum vellicauit, & qui Pontifici Summo potestatem canonizandi abrogare visus est, eam ipse sibi arrogauit, Reuchlino ob linguarum peritiam Sanctis adscripto. Sanctæ verò Catharinæ Senensis canonizationem, gratiæ vrbs & Ordinis datam, ausus est effutire, vt memorat Henricus Vicus in *opere de Communione Sanctorum.* Circa imagines, quàm se verum Iconoclastam exhibuerit, videndus Catharinus *lib. 2. de certa SS. gloria, §. de adoratione ad imagines, à pag. 60. & Molanus lib. 2. de imag. c. 54. & 55.* Sacramentate de peccatis iudicium, derisit Erasmus, & Theologos ei, (vt dixit,) humano inuento nomen *Sacramenti* tribuentes, exhibilauit, referente Alberto Pighio *lib. 2. Hierarch. Eccles. c. 8.* Libros sacros truncauit, vel totos præcidit, vt videre est apud Michaelém Medinam *lib. 6. paran. passim.* Allegationes veteris Testamēti,

menti, quibus nouum scater, falsas, non semel & à vero adhorrentes dixit, quod latè redarguit Hieron. à Ruà q.4. *positina*. Eius spurciloquia circa propensionem naturalem ad contagium, refert & latè reicit Michael Medina *lib.4. de sacror. hom. contin. controuers. 1. cap.2.* Abstinenciam à certis cibis lege Ecclesiastica indictam, improbauit, vt ex variis eius locis eruit Castro *verb. cibus*. De cæteris eius circa fidem, vel Sacra lapsibus, consulendi Posseuinus *in apparatu sacro, verb. Desiderius Erasmus*, Natalis Beda, & Richardus Cenomanus, iustis in Erasmus opusculis, Marianus Victorius *in scholiis ad Hieronymum* passim, Alphonfus de Castro *lib.3. de iusta heret. punit. cap.8.* Hieronymus Torrensis *in preludiis ad confess. Augustinianam*, Iacobus Billius *lib.1. obseru. sacrarum, cap.9.* & alij quos in Erasmus insurrexisse, notat Franciscus Floridus Sabinus *lib.3. lect. subs. cap.4.*

40. Illud sanè, ad stuporem hominis quoad Patrum scripta perspicendum, satis superque esse potest, quòd homilia in 2. *ad Corinth.* quibus vix aliquid Chrysofomo dignius habemus, ei abiudicat. Item quòd in quadam ad *Cuthbertum Tenstallum* epistola, & in prefatione prefixa libro S. *Basilij de Spiritu sancto*, Latine per ipsum Erasmus facta, præfidenter iactat tributum Chrysofomo commentarium in Acta, vsque aded non esse Chrysofomi, vt meliora se, etiam ebrium, scribere potuisse confirmet. Hunc esse stuporem pecuinum, eruditus quilibet cum perlecto eo commentario statuer, tum etiam audito sensu grauissimorum è Græcis scriptoribus, quibus non obesoires quàm Erasmo, in his diiudicandis nares fuerunt. S. Damascenum dico, qui 3. *de fide, cap.15.* agnoscit opus illud homiliarum in Acta, esse Chrysofomi, & citat ex eo aliqua, quæ habentur *hom.2.* Item Oecumenius *in catena*, agnoscit opus illud Chrysofomi esse, & passim ex illo libat aliqua, tanquam ex Chrysofomi fœtu genuino, qualem esse eum agnoscit Cassiod. *lib. diu. lect. cap.9.* testatus, de facta eius operis versione, ab ipsius Cassiodori amicis, vtique urgente ipsomet Cassiodoro; nec loquitur de eo, nisi tanquam de Chrysofomi germano opere. Quid quòd in *Synodo Trullana, cap.16.* verbatim nomine Chrysofomi, plagulæ quædam ex eo commentario allegantur? Non dissimili sagacitate, & malè odora vi Batauis hic arrosor librorum S. Basilij, librum *de Spiritu sancto*, nòthum statuit, quem Theodoretus *dial.1.* Anastasius *q.84. in Script.* Photius *in Nomoc. lib.1. cap.3.* Euthymius *in Panoplia*, Niceph. *lib.12. cap.20.* Balsamon *in Nomocan. Photij*, imò Concilium Nicænum II. *act.4.* agnoscunt tanquam Basilij. Sic impegit hic *Censor cæli, & terra*, vt eum vocat Catharinus *clauæ prima Script. errore 10.*

41. Sed de his, (vt dixi,) nunc non ago; in inficetas Erasmi scriptionum facetias intentus, ad quas illud Hieronymi reponere liceat, *epist.19.* [Mel in Dei sacrificiis non offertur; nimia dulcedo arte mutata est, & quadam, (vt ita dicam,) piperis austeritate condita. Apud Deum enim nihil voluptuosum, nihil tantum suaue placet, nisi quòd in se habet mordacis aliquid veritatis. Pascha Christi cum amaritudinibus manducatur. Festus est dies, & natalis B. Petri festiuus est solito condiendus, ita tamen, vt Scripturarum cardinem iocularis sermo non fugiat, nec à præscripto palæstræ nostræ, longius euagemur.] Similia de illo melle à sacris remoto, alij adducti in Ape Gall. Non est probandus, vt sapienter admonet Saluianus *lib.6. de prouid. qui*
rifum,

rifum, atque latitiam, scelus facit, & gaudium simplex, infructuosum ducit, cum liceat ridere, quamlibet immensuratum, quamlibet iugiter, dummodo innocenter. Itaque quod Tullius in Antonium intorsit, [Ita eras Lupercus, vt te esse consulem meminisse deberes,] ad Erasmus facile apratur, dicendo: Ita faciem agere poteris, vt te esse Christianum, meminisse deberes. Eius certè sales, & iocos, fuisse primam radicem cladis fidei Catholicæ in Anglia, scribit Edmundus Campianus *initio libelli de diuortio Henrici VIII.* qui ad calcem historiæ Harppfeldij habetur. Zuinglius *in articuli vicesimi explanatione*, disertè prodit, se Erasmi iocis contra Sanctorum Inuocationem, ad eam abrogandam adductum esse; neque ab ea persuasionem dimoueri potuisse, aliis eiusdem Erasmi scriptionibus in Sanctorum quorundam exornationem.

Verùm ab adulterina, imò sacrilega plantatione, spurioque vitulamine, ab apostata Religiosi Ordinis, vix expectari aliud potuit. Erasmus enim si iocari de ioculari homine, in scelere licet, non fuisse filium Regis, licet is, qui eum genuit, fuerit coronatus, vt de alio quodam dixit Petrus Blef. *epist. 21.* fuisse, inquam, Erasmus patre Gondani in Barauia oppidi propè Roterodamum, Parocho genitum, ex famula, catalogus Illustrium Germaniæ scriptorum prodit, addens, famulam prægnantem, quo crimen lateret, ablegatam ab incesto Parocho fuisse in vicinam ciuitatem Roterodamum, eamque ibi anno 1469. enixam esse Erasmus: qui cum adoleuisset, institutum Canoniorum Regularium Ordinis D. Augustini, in Monasterio *Stein* propè Gondam, diu professus, & nouennio post Sacris initiatus, pertæsus monasticen, epicœnæ, & ferè nullius fidei paradigma, multis erronibus factus est: & quanto plures edidit libros, tanto densiores cumulauit errores, maior futurus, si minor esse voluisset. Iudicium est Scaligeri *in calce Poëtices.* Quamquam Basilius Poncius *lib. 7. de matr. cap. 1. num. 6.* tanti esse apud plerosque Erasmus his verbis exoptulat. [Pudet me, dum Catholicos ita Erasmi amore affectos video; nos enim illius argutas ineptias admirantes, reddidimus illustrem, dignum qui lateret, & Cimmericis obliuionis tenebris cum omni sua prole sepeliretur.] Nec mitius de Erasmo pronunciatum à Iacobo Stunica, eo libro cui titulum fecit, *Erasmi Roterodami blasphemie, & impietates.* Videndus qui varias eius impietates, & aduersus eum iudicia sapientum, addensat Gaspar Chicocius *lib. 1. alloquiorum cap. 19. & 20.*

*Proscribendi item libri Atheorum clanculariorum secundi
Ordinis; cuiusmodi plerisque visus
Pomponatius*

42.
Spectare ad classem secundam nonnullis sunt visi, Pomponatius atque Cardanus, iis scriptis, quibus animæ immortalitatem sustulerunt. Quamquam prior non absolutè ac simpliciter, mortalem animam censuisse videtur, sed duntaxat si ratio nuda consuleretur, vt liquet ex opere Contareni Cardinalis, *de immortalitate*, conscripto aduersus Pomponatium, ipsius quondam Contareni in Philosophicis Magistrum. Nec aliud censuerim voluisse illos eiusdem æui Philosophastros, damnatos à Lateranensi Concilio sub Leone X. & alios

D longè

longè antè à Stephano Parisiensi Episcopo, anno 1277. vel potiùs 1217. in rescripto quod extat *tomo 5. Bibl. Margarini pag. 1319.* æquè damnatos, quòd assererent, animam rationalem, secundùm fidem esse immortalem; at secundùm Philosophiam, esse mortalem. Næ, hi non Philosophi, sed vt alia occasione dixit Valdensis, *friuophili* habendi fuissent, si animam simul mortalem ex Philosophia, & immortalem ex fide, pronunciaissent. Quomodo enim esse, & non esse, de eodem subiecto affirmari possit, absolute, & simpliciter, etiam si penes diuersa capita? Animam ergo absolute videntur agnouisse immortalem, quòd ita apertè fecerant fidei scita; quamuis nisi de animæ rationalis perpetuatione fide doceremur, solâque naturali ratione consulta, negaturi fuissent immortalitatem.

43. Quod tamen, ingeniis effrænis, ea negatio immortalitatis animæ, spectatis naturalibus principiis, aditus esse videatur ad negandam funditus immortalitatem, iure libri eo doctrinæ reprobæ fermento vitiat, suffixione digni sunt habiti: ipseque Pomponatius, mutata mente, opus suum de eo argumento improbasse dicitur, variantibus sententiis, an id amicorum precibus dederit, an famæ suæ ac nomini cauerit, an ex animo audierit Ecclesiam, & palinodiam cecinerit, vt conscientiæ faceret satis. Venetos illud opus addixisse ignibus, nec de immortalitate, sed de mortalitate animæ fuisse inscribendum, tradit Syluester *lib. 5. de Strigimago cap. 5.* exostulans quòd à se approbatum eum librum dixisset Pomponatius, quod negat se vnquam cogitasse. Idem Pomponatius, iudice Mirandulano *lib. 6. euerf. singul. certam.* in opere de incantationibus, nec Philosophum se bonum, nec Christianum bonum exhibuit, cum effectus omnes mirificos, cælorum influxionibus adscribat, aded vt velit, & religiones, & leges, earumque latores, ab iis dependere. Quare opus illud in Tridentino indice proscriptum est, & dilatam tandiù fuisse proscriptionem, miratur Delrio 1. *Mag. cap. 3. ante q. 1.* In opere de fato, idem Pomponatius multus est in euertenda cooperatione Dei nobiscum, qui est exploratus error, quæ omnia suspicionem illam aliquorum, de Pomponatij clanculario Atheismo, vtcunque confirmant.

Itémque Cardanus.

44. De Cardano alia est ratio, si verum est quod nonnulli referunt: inter quos Martinus Delrio 2. *Mag. q. 26. lib. 2.* nempe apertè eum & absque ambagibus, mortalitatem animæ scripto ea de re libro affirmasse, nec palinodiam cecinisse vnquam; tamen de premedo metu infamiæ, vel etiam suppliciorum, nigro illo opere, sollicitus fuerit. Non audeo prorsus fidem adhibere his de Cardano fortassè rumoribus, fortassè confictis fabulis; præsertim cum extet eius liber de animarum immortalitate, cuius Lugduni à Sebastiano Gryphio anno 1545. quo immortalitatem propugnat. Asseruat eum in sua selecta Bibliotheca D. Philippus Laigneau. Quanquam cum eo ipso opere *cap. 13. pag. 280.* apertè prodat, fato se ac monitis prohiberi, reliqua dicere quæ de anima sentiret; suspicio est, hunc Polypum ad eam scriptionem metu infamiæ adactum, verè anteriùs tale quid scripsisse contra animæ immortalitatem, quale nonnulli referunt; idque doctrinæ venci-

num eius in pectore , etiam post editum eum quem retuli librum , deli-
tuisse.

In reliquis verò eiusdem Cardani scriptionibus ferè omnibus , magna om-
nino apparet doctrinæ fermentatio , perspersis identidem , quâ Atheïsmis , quâ
exploratis hæresibus , quâ magicæ impietatis propudiis. Nam *lib. de supple-
mento Almanachi cap. 22.* statuit legem Iudaicam à Saturno esse ; Christianam , à
Ioue , & Mercurio ; Mahumetanam à sole , & Marte ex æquo dominantibus ,
quorum alter iustitiam , alter sauitiam infundat , Idololatriam à Luna , &
Marte. Idem in opere *de Genituris , in octava* , ait Christianam legem foueri
ab igneo trigono , Mahumetanam ab aqueo. Et genitura vndecima , Lutheri
sectam ait inualuisse , propter spicam Virginis , quam quia Martem admixtum
habet , & caudam , infinita capita reddere asserit. Vinu supernaturalem , siue
gratiam gratis datam Gallix Regibus , ad curandum strumarum morbum ,
Cardanus *lib. contradictionum medicarum* , ad vsu longum aromatum retulit ;
ridendus potiùs , an desendus , ambigit Brodæus *lib. 8. miscellaneor.* (posthu-
mo ,) *cap. 10.* Esse enim citra omne dubium , gratiam gratis datam , apertissi-
mè euincit Andr. Laurentius *lib. 1. de strumis.* Sed deteriora sunt , quæ de Chri-
sto ipso vomuit Cardanus ; Christum enim ipsum fato subiecit , & quòd tali
astrorum positura editus esset , oportuisse eum in cruce mori , non erubuit
scribere , verecundante , quantum arbitror , charta , & ipso atramento , (vt
de Iuliano S. Augustinus quæsiuit ,) in minium verso , ad tantam impietatis
atrocitatem , à S. Augustino tanto antè confossam *tractat. 104. in Ioan.* ad illud ,
Pater , venit hora. Mundum æternum esse , impiè affirmavit , ex maris falso
supposita æternitate , argumentatus. Hominem primò è putri genitum , sicut
mures , aut ranas , effutiuit. Energumenos ab atra bile cieri , non ab nidu-
lante in eis spiritu agitari , commentus est. In opere *de subtil. lib. de Dæmonibus* ,
ea de domestica Magia , & patris sui pædros , scriptis prodidit , quæ suspicio-
nem de eius furua magia valdè infigunt. In summa , tam multis , tam tetris
horrendisque propositionibus , omnes ferè libros suos incestauit Cardanus , vt
suffixioni meritissimò patere possit , tanquam homo nullius religionis ac fidei ,
& inter clancularios Atheos secundi ordinis in quo versamur , æuo suo facilè
princeps.

*De Machiauello , & aliis tertij ordinis clanculariis Atheis ,
omni iure eliminandis consensio
vniuersalis.*

Tertiæ classis ductor , omnium consensu est Machiauellus , *libris discursuum* ,
de Principe , vsque eo tetris , ac proiectæ in religionem , & sancta omnia
audaciæ , vt ipsi quoque Sectarij in eum calamos strinxerint , & omni studio
libros eius exterminandos esse , sint professi. Hoc item alij benè multi , & for-
tissimè , & diligentissimè monstrarunt , ac præter cæteros , Thomas Bosius variis
in Machiauelum lucubrationibus , de vera fortitudine , de imperiorum de-
pendentia à veris virtutibus , & aliis nonnullis. Item Molanus *lib. 1. de fide hæ-
reticis seruanda. cap. 3.* Catharinus *opusc. de elimin. libris noxiis* , Petrus Ribade-
neira *in opere de Principe* , Thomas Firehebertius *lib. de infelicitate Principis*

Machiauelliani, Hieronymus Osorius in *Regis institut. & de Christian. nobilit.* lib. 3. Posseuinus lib. 16. *Biblioth. cap. 5.* Menoch. in *Hierop.* Sepulveda in *opere de militari discipl.* Adamus Gontzen in *Polit.* passim, Petrus Gregor. lib. 13. de *Republ. cap. 12. à num. 21.* & vir doctissimus, nec mihi absque candoris & virtutum doctrinaque elogio nominandus, Henricus Wangnerech lib. 2. & 3. *vindictiarum politicarum contra Scioppium.* Docet Machiauellus illis libris, satis esse, pietatem, religionem, humilitatem, simulatione præferre; quò flauerint venti, eò obuertendam esse nauem, cum necessitas tulerit, intrepidè peccandum esse; Principes probare debere falsa miracula in populo, ad populum, quo res feret, excitandum. Et in eundem finem reuelationes falsas tanquam à Deo derivatas, confingendas esse, & spargendas in vulgus: fato agi, & regi omnia, belli iustitiam, in ea quam sibi quisque statuit necessitate consistere; Principi ut omnem spem pacis præcidat, violandos esse insignibus iniuriis aduersarios; speciosum prætextum iis quos Princeps punire velit, esse obtendendum; factiones esse alendas inter subditos; prauis moribus implendam esse ciuitatem, aut prouinciam quam sine bello ulcisci velit; datæ fidei habendam esse rationem, quamdiu commodum est; humanam animam, eadem cum anima bruti mortalitate cadere, & perire censebat. Idque non occultè mussabat, sed spargebat in vulgus, ut Catharinus supra notat: rectè addens has esse Diaboli fistulas, per quas loquitur, & improvidos plerosque dementat. At exitus impiissimi nebulonis metuendus est eius æmulatoribus; nam blasphemans euomuit reprobum spiritum. Sunt eiusdem genij, quotquot omnem religionem, habent veluti indifferentem.

Claudo eo Nazianzeni initio, quo Iambicum secundum orditur,

*Pereant profani, qui Deum summum negant;
Tantàmque mundi, (verba quàm nulla explicent),
Concinnitatem, cuiuspiam causæ dare,
Quæ cuncta faciat, seruet & cuncta, abnuunt.*

Nec ipsi tantùm iustum Dei iudicium sint experti, sed eadem sorte sint eorum codices: hoc est, pereant ipsi quoque, ita ut nihil tam exitialis, tam detestandæ doctrinæ, vspiam sit reliquum.

EROTEMA V.

Magiçine libri configendi.

47. **M**agiæ, (atque adeò etiam magicorum librorum,) Apuleius in *Apolo-*gia, ut Magiæ sibi impactam dicam amoliretur, duplicem proponit notionem. Vnam, qua *Magus* idem apud Persas sonat, quod Latine *Sacerdos*; ita ut aliud non sit Magum esse, quàm ritè nosse, scire, atque callere leges cæremoniarum, fas sacrorum, ius religionum. Sic enim Platonem notat idem Apuleius, magiam interpretatum *ἱερῶν διατάξεις*, cum commemorat quibusnam disciplinis puerum regium adolescentem Persæ imbuerent. In quam rem fusè ex variis antiquis Briffonius lib. 2. de *regno Persarum*, exponens Magorum munia. Hanc ergo Magiam, piam, & diuini-

niscientem,